

scripsi: tecum loquere, et te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera. Alteri qui melius dare consilium possit, quam tu, non facile inveniri potest: tibi vero ipsi certe nemo melius dabit. Dii immortales, cur ego non adsum vel spectator laudum tuarum, vel particeps, vel socius, vel minister consiliorum? Jam etsi hoc minime tibi deest: sed tamen efficeret magnitudo et vis amoris mei, consilio te ut possem juvare. Scribam ad te plura alias; paucis enim diebus eram missurus domesticos tabellarios, ut, quoniam sane feliciter et ex mea sententia remp. gessimus, unis litteris totius aetatis res gestas ad Senatum perscriberem. De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, quamquam difficili in re atque caussa, cognosces ex iis litteris, quas Tharasoni liberto tuo dedi. Te, mi Curio, pro tua incredibili in me benevolentia, meaque item in te singulari, rogo atque oro, ne patiare quidquam mihi ad hanc provincialem molestiam temporis prorogari. Praesens tecum egi, cum te tribunum plebis isto anno fore non putarem: itemque petivi saepius per litteras: sed tum quasi a senatore nobilissimo, tum adolescente gratiosissimo, nunc a tribuno plebis, et a Curione tribuno: non ut decernatur aliquid novi, quod solet esse difficilius; sed ut ne quid novi decernatur, et ut senaticonsultum, et leges defendas; eaque mihi conditio maneat, qua profectus sum. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

V. CICERO BASILIO. S.

«Gratulationem, benevolentiam et officium continet.»

Tibi gratulor, mihi gaudeo; te amo, tua tueor, a te amari, et, quid agas, quidque agatur, certior fieri volo. Vale